

Georg David Ziegra    Julius Gruner

**Šemen ham-miš qodeš S. De Oleo Unctionis Sacro, Quod Exod. XXX. Comm. 22. - 25. describitur,  
Disputatio Philologica**

**2 :**

[Wittenberg]: Henckelius, 1680


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788774654>**

Band (Druck)    Freier  Zugang





Fa - 1092 (114)



1. Buxtorf, Joh., exercitationes ad historiam:  
1. Arcae foederis; 2, ignis sacri et coelestis; 3, Urim  
et Thummim. 4. Mannae. 5, Petrae in deserto; 6, Ser-  
pentis aenei. Basil. 1659.

82

בש הקבר

# שמן המשתה קדש

s.  
De

## OLEO UNCTIONIS SACRO,

Qvod Exod. XXX. Comm. 22.—25. describitur,

*DISPUTATIO PHILOLOGICA*

*POSTERIOR,*

*Quam*

Athenis Leucoreis

*publicè examinandam proponunt*

PRÆSES

M. GEORGIUS DAVID Ziegra/

Wittenbergensis,

&

RESPONDENS

JULIUS GRUNERUS, Phil. Stud.

Hafenpothâ-Curlandus.

*In Audit. Minori, Die 27. Novemb. hor. pomerid.*

---

Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
ANNO clō Ipc LXXX.

24  
25  
26

THE  
UNIVERSITY OF  
ROSTOCK

OLEO UNCTIONIS

M. GEORGII DAVID GRAMM

JULIUS GRAMM'S

§. 16. Nos rectâ pergimus viâ ad specierum jam commemo-  
 ratarum quantitatem, quantum scil. de unaquaque Moses sumere  
 debuerit. Solent Pharmacopolæ, si oleum quoddam præparandum  
 sit, non omnia confusè & plenis manibus commiscere, sed pruden-  
 tè observare *Μόλι* ac proportionem ingredientium: ita Deus quo-  
 que Mosi, servo suo, cui oleum hoc *קקו ממשו* opere unguentario,  
 pharmaceutico, conficere in mandatum dedit, certam quantitatem,  
 certumq; pondus præscribit. Jubet enim, ut sumat *Myrrhe 500. Cin-*  
*namomi, dimidium ejus, 250. calami aromatici, 250. Cassia, 500. in*  
*siclo sanctitatis.* Ubi duo imprimis nobis consideranda veniunt.  
 Quale nempe & quot h. l. pondera intelligantur. Quale pondus  
 intelligatur, cum disertis verbis non explicetur, Interpretes in di-  
 versas abeunt sententias. Quidam enim *מנא* libram s. pondo,  
 quod vel sacrum est, & 50. continebat siclos; vel profanum, quod  
 dimidio minus erat, hîc subintelligi volunt. Hinc Tremellius &  
 Junius pondo vertunt. Arabs quoque ad singulas species addit  
 vocem *ون* libra s. pondo, ut quantitas sit 1500. librarum. Eo-  
 rum autem ratio videtur esse, quod, si tam parvum harum specie-  
 rum statuatur pondus, parum etiam exinde unguenti fuerit pro-  
 ductum, quod non suffecisse ad totum tabernaculum & omnia  
 ejus, inter quæ magna quædam, vasa & multos homines ungen-  
 dos. Sed de eo alio in loco dicitur. Pleriqve tamen existimant,  
 Mosén pondere sicli, quod *in siclo sanctitatis* dicatur, usum fuis-  
 se, sicq; de myrrha 500. accepisse siclos & sic porrò, quod etiam  
 LXX. Vulg. Luthero, aliisq; placet. Ebræis dicitur *קקו*,  
 Chaldæis & Syris *מקלה* vel *מתקלה* i. e. *appensum, pondera-*  
*tum,* à R. *קקו* vel *תקל* *appendit, ponderavit, libravit,* &c. Tar-  
 gum habet *סלע* & *סלע*. Græci vocant *σικλον* vel *σικλον*, ali-  
 quando *διδραχμον* &c. Germ. ein *Sesfel*. In Novo Testamento  
 usurpari solet vocabulum *σεντιγ* ab *ισάνας*, quod idem significat.  
 Solebant enim Veteres Ebræi, Chaldæi, Syri, uti & Romani au-  
 rum & argentum ponderare, hinc ex pondere summam ac valo-  
 rem ejus colligebant, & ita juxta pondus omne commercium in-  
 stituebatur; non verò discretè, uti nos hodie, numerabant. Cujus  
 rei plurima in Scriptura S. habemus exempla, ut: *Gen. XXIII. 10.*

A 2

Exod.

Exod. XXII. 17. 1. Reg. XX. 39. Esd. VIII. 25. 26. 29. & 33. Job. XXVIII. v. 15. Zach. XI. 12. & c. Conf. & Matth. XXVI. 25.

§. 17. Occurrit verò nomen שקל in S. literis V. Test. tum pro pondere, tum pro nummo. Hic pro pondere accipitur, qui juxta nonnullorum sententiam vel Sacer est, vel Communis. Sacer, qui etiam שקל הקדש *siclus sanctitatis*, item templi adpellatur, lege à Deo fuit institutus, & ad res sacras s. ecclesiasticas, scil. ad Tabernaculi vel Templi structuram, ornatum &c. fuit adhibitus, valetq; semissem imperialis, vel 12. grossos misnicos, & constituit semiunciam argenti, ein לֹשֶׁת. Siclus Communis, qui & שקל של הוה *Siclus profanus, vulgaris, s. communis*, item שקל המדינה *Siclus provincialis*, & שקל המלך *Siclus regius, civilis s. politicus* vocatur, & ante & post legem in usu fuit, & solum ad res civiles seu politicas fuit adhibitus, valetq; dimidium sicli sacri, sive quadrantem imperialis. Secundum Josephum siclus templi habebat quatuor drachmas, & qualibet drachma quinque obolos, quare eveniebat, ut siclus templi viginti caperet gera (i. e. obolos); Siclus autem vulgaris caperet duas drachmas s. didrachmum vel decem obolos, quod unum idemq; est. Plura de hac re vide apud Waltonum in *App. Bibl. Waserum in Tract. suo de N. & P. H.* Leusden. in *Philologo Ebræo-mixto disp. 28.* conf. etiam Buxt. *Lexic. Talmud. in voc. שקל & סלע.*

§. 18. Sed hanc distinctionem in dubium vocat Villalpandus *Comment. in Ezech. de ponderibus & nummis disp. 4. cap. 28.* & ex eo Rivetus *Comm. in Exod. 30.* putans sacrum siclum ejusdem fuisse ponderis cum siclo vulgari, eaq; tantum de causa vocari sacrum, quod in sanctuario unus asservaretur siclus, ad cuius pondus omnes sicli exigenterent, ubi ageretur de justo valore. Consentire videtur Corn. à Lapide, qui in *Comment. ad h. l. v. 13.* inter alia hæc ponit verba: imò æquales fuisse hos siclos patet Ezech. 45. 12. ibi enim dicitur siclus communis habere 20. obolos, quot dicitur hic habere sacer. Ezechielem enim loqui de communi laicorum, divitum & pauperum siclo, patet ex antecedentibus. Et paulò post: Siclum sanctuarii idèd dici, quod in sanctuario, quasi in loco sacro & tuta, servare-

117

tur siclus iustissimi ponderis, ad quem appendi possent & examinari reliqui omnes, ne fraudi putà decortationi & diminutioni, locus pateret: sicut apud Romanos publica extabat pedis mensura, velut prima & certissima reliquorum: & amphora mensura publica extabat in capitolio &c. Optimè atqve accuratissimè totam hanc pertrastavit materiam Magnif. Dn. D. Calov. in *Bibl. Illustr. in Præloq. gener. ad Libros S. Codicis, imprimis cap. 4.* quem consule. Nos prolixè esse, & actum modò agere, nolumus.

§. 19. Quod numerum attinet ponderum, eum, licet expressis Deus explicet verbis, tamen alii, imprimis Judæi, in dubium vocant. Pleriqve enim Rabbini numerum constituunt 1750, & hoc ob vocem מחציתו, quæ in textu habetur, docentq; quod Cinnamomum bis debuerit ponderari, & quidem בהכרעות *singula vice addito superpondio*, & non בעין עין *ut examen seu lingua in bilance lancibus æquatis summo puncto exactissimè responderit.* Sic namqve legitur in Talm. *Masf. Cerith. c. i. p. 5.* תר משן המשחה מר דרור חמש מאות קרה חמש מאות מאור קנמן בשם מחציתו חמש מאות וקנה בשם המשים: ומצאו כולם אלף ושבע מאות וחמשים: Tradiderunt Doctores nostri, quod ad oleum sacrum conficiendum sumserint Myrrhæ liberè fluentis 500. siclos; Casie 500. Cinnamomi aromatici (si duo ejus dimidia adduntur,) 500, & calami odorati 250. Tota verò summa fuit 1750. Siclorum. Et hujus sententiæ Patronus est R. S. Jarchi, qui exponit: Semissem ejus, 250. Semisis adductionis ejus erit 250, ut summa totius ejus inveniatur 500. sicut mensura myrrhæ. Si sic: quorsum ergò dicuntur de eo dimidiæ partes? Scilicet est argumentum à pari, quo Scriptura utitur: ut significet, adducendum fuisse illud ad dimidias partes, ut includeret per illud duas præponderationes: cum non appendant oculo ad oculum, seu ad æquilibrium. Alii æqualia fingunt pondera, & 2000. siclos ponunt, inter quos etiam R. AbenEzra, ita scribens: קדמוננו אל אמרו כי משקל הכל שוה וככה נקבל רק לא ידענו מעום

A 3

למה

למה הזכיר מחציתו וטעם החציאים לא אפין כי אין  
מנהג ארץ ישמעאל להוסיף על כל דבר שישקל  
אפי' כמשקל חררל ואף כי בכל מעשה רוקח :

*Majores nostri p. m. dixerunt, quod pondera omnium aromatum  
equalia fuerint, id quod accepimus: ignoramus tamen rationem, qua  
re mentio fiat מחציתו (dimidii illius,) neg. sensum dimidiorum per  
cipio, non enim mos in tota terra Ismaelitica, ulli rei loco superpondii  
vel minimum addere, quod pondere aequat granum bordaceum; ;  
quanto minus id fiet in omni compositione ungenti. Verum meræ  
hæc sunt traditiones, quæ minimè è textu fluunt.*

§. 20. Nos, ut &, quid nobis videtur, addamus, arbitramur,  
unum tantum Ebrais fuisse siclum, qui unum ponderabat staterem,  
seu semunciam, s. quatuor דרינרין drachmas Atticas, vel דינרין  
denarios Romanos, ut in §. 17. videndum. Hinc sequitur, siclos  
hos, ut in textu extant, omnes conjunctim sumtos facere 1500,  
qui deinde secundum medicam 62. & 6. uncias, secundum com  
munem verò 47. ferè constituunt libras. Ita enim docet & expli  
cat Magnif. Dn. D. Calov. in *Bibl. illustr. l. c.* & ad *h. l.* hæc ponit  
verba: *Pondus ad siclum sanctuarii exigitur, uti pondera pretio  
sorum aromatum ad aurei coronati pondus exigi solent. Quingenti  
sikli myrrhe viginti libras & 10. uncias faciunt. Duo autem sicli uni  
cam. 500. sicli efficiunt 250. uncias, in libra autem sunt 12. uncia, ac  
proinde 250. uncia sunt 20. libra, & 10. uncia. Scriptura S. aliàs Exod.  
XXX. 13. Lev. XXVII. 25. Ez. XLV. 12. Siclum per 20 גרה Gera  
circumscibit. Quid verò Gera sit, in nomine plerorumque Ju  
dæorum responder R. Levi B. G. ad Exod. 30. 13. גרה הוי' ג  
Gera pondere aequat  
septendecim grana hordei circiter. Alii tamen 16, alii 19. & plura  
grana numerant, non enim in omnibus locis sunt paria & æqua  
lis ponderis.*

§. 21. Cæterum quæstio hîc oritur apud Judæos de modo  
ponderandi has species, an nimirum factus sit appensis in bilance  
speciebus ad pondus aliquod seu lapideum seu ferreum; an, pri  
mâ

mâ specie, primum ad pondus ferreum appensa, postea species  
alia ad hanc ipsam speciem appensa fuerit? Equidem è Scriptura  
clare non liquet, illi tamen ex ea & quidem *Exod. 30. 34.* modum  
priorem colligunt, & probare conantur, sed infirmo argumento.  
Dicitur namque in *Tract. Cerith.* sæpius citato: *Dixit R. Papa ad*  
*Abai: Quum ipse appendit, num per præponderationem ipse appen-*  
*dit, an oculo in oculo, b. e. ad æquilibrium. Cui ille respondebat: Deus*  
*scripsit vers. 34. solum cum solo.* Tu autem dixisti; per præ-  
ponderationem, Atqui dixit R. Juda: Deum nosse præponderationes  
seu ponderum rationes. Ergò quia est in eis præponderatio cinnamo-  
mi aromatis, quare affert semissim hujus numeri, quingentorum, du-  
centa & quinquaginta, ut unam vicem seu semel? Et Ribbi pariter  
etiam: unâ vice, seu semel. Postquam totum eorum 500 sunt; afferre  
debisset 500. unâ vice. Scilicet percipio inde, ex eo, quia affert illud,  
respectu cinnamomi aromatis, duabus vicibus præponderationem esse  
in eo. Deus Opt. Max. autem novit præponderationes. Quid autem  
est, solum cum solo? Respondit Rabina: significari eo, quod non  
debeat apponere pondus ponderi, cum ponderabit istas species. (h. e.  
appendet singula aromata ad pondus ferreum: non autem appen-  
det per numerum myrrhæ libertatis, & postea appendet casiam, ad  
pondus myrrhæ libertatis &c.)

§. 22. Hactenus itaque quatuor aromatum genera, ex qui-  
bus oleum hoc sacrum conficiendum erat, contemplati sumus.  
Quia verò ea spissiora erant, liquido aliquo, quo diluerentur, &  
ad unguendum effusionemq; aptiora redderentur, opus erat. Et  
hoc מש oleum est. מש aliàs pinguedinem conjunctam carni,  
adipem, notat, à R. מש pinguis, impingvatus, saginatus, &c. fuit;  
dein verò etiam oleum, quia pingve est, significat. Non autem id  
quodvis esse debuit, sed מש oleum olive, seu ex olivis ex-  
pressum, ad differentiam illius, quod ex seminibus, ex plantis,  
aliisve rebus exprimitur vel conficitur, (quarum specierum lon-  
gum catalogum, sicut & naturam olei olive recenset Dioscor. *L. 7.*  
*c. 33. &c.* & Plin. *L. 15. H. N. c. 4.*) & quidem purissimum ac defæ-  
catum.

§. 23. Hu-

§. 23. Hujus mensura exprimitur voce הין *Hin*, quam pſe-  
 riqve Interpretum retinuerunt; difficile enim est, talem ponere  
 mensuram, quæ in omnibus locis exactè ei respondeat. LXX. *éiv*.  
 Chald. *הינא*. Vulg. *Hin*. Luth. *Hin*. Arabs reddidit *قسط*  
*cyathum, sextarium. Beer. Mos. און איימיר אודר מוט Ein*  
*Eimer oder Mot. Quid verò Hin sit, explicat R. D. K. in Rad.*  
 הין היא המרה שהיתה אצלם שהוא שנים עשר לוג  
 : *Hin est mensura apud*  
*Ebræos continens duodecim Login; Log autem sex ova, eratq; men-*  
*sura liquidorum. Qvod & colligere volunt è Talm. Mafs. Cerith.*  
*sæpiùs allegato, quando de confectioe hujus olei dicitur:*  
 : *Initio non*  
*plus erat (scil. olei oliuæ) quam duodecim Login. Nec non ex pro-*  
 nom. *וין* adducto, quod per *Artem Cabalisticam*, quæ *Gematria*  
 appellatur, numerum XII. exhibet, quæsi aliquid arcani in se ha-  
 beat, verba sunt hæc: *וין עשר לוגין הוון Vox*  
*וין per Gematriam valet XII. duodecim enim Login fuerunt. Cu-*  
 jus uberiorem explicationem si desideras, evolve W. Schickardi  
*Bechin, Happer. p. 63. Josephus Lib. 3. Antiq. Jud. c. 10. & 12. Hin*  
*ad mensuras Atticas reducit, dicens: Μετρον δ' ἴσθ' ἑστὶν ἑξ ἑξήκοντα*  
*δύο χόας ἀθηναίων χόων. Est autem hæc mensura vernacula, duas*  
*choas Atticas capiens. Choa verò Attica æqualis fuit congio Ro-*  
 mano, qui sextarios sex continebat. Unde liqvet, duodecim sexta-  
 rios *Hin* cœpisse; ut Logi Ebræorum cum sextariis Romanis idem  
 sint, sicut Rivetus *Comment. in h. l.* explicat. Arias Montanus de  
 mensuris duodecim hos Logos ad 72. reducit ova, quæ postmodum  
 tres constituunt cantharos, ut in Bibliis explicatur Vinariensibus.  
 Conf. insuper de his mensuris Casp. Waserum *de antiq. mensuris*  
*Ebr. c. 3. p. 102. seq. & Leusden. Phil. Ebr. mixt. diss. 31. p. 207. item*  
*Münsteri annot. ad Levit. c. 14. & Pagnin, Thesaur. Lingv. S. in R.*  
 הין. Si quis rem ipsam experiri, & quantum Log continuerit, pro-  
 bare velit, accipiat ollam vel pateram aqua plenam ad summum  
 usque labrum, eiq; injiciat 6 ova; hinc aquam illam effluentem  
 colligat in vas ad mensuram sui loci accommodatam, & tantum,  
 quantum fuit, habeat.

§. 25. Ex

§. 25. Ex his igitur enumeratis aromatum speciebus, nec non oleo olivæ Deumosen oleum unctionis sacræ conficere jabet, Quomodo verò, his indicat verbis: *רֶקֶח מִרְקַחַת מֵעֵשׂוֹ רֶקֶח* unguentum unguentationis, opere unguentarii. LXX. interpretantur *μύρον μυρεψιδόν τέχνη μυρεψίδ*, unguentum per modum unguenti colatum arte coctoris unguentorum. Qualem scil. hodiè appellamus, apothecarium. Vulg. unguentum compositum, opere unguentarii. Quod Mogunt. verterunt, Eine Salb / nach des Apothekers Kunst zugerichtet; ferè, ut Lutherus: Ein Salb. Oele / nach der Apotheker Kunst. Chald. *בוסם עובר בוסמן* Quod Fagius vertit, *aromatibus confectum, opere apothecarii*. Buxtorffius autem *aroma aromatizatum, sive confectum opere artis aromatica, vel Apothecaria*. Arabs: *condimentum condientis, artificio condimenta conscientis*. Trem. & Jun. unguentum unguentaria opere unguentarii. Id est, *artificiosissimè paratum, non tyronis, sed periti artificis*. Beer Mos. *גוורץ וורצונג ווערק גוואורצט אדרר דאן אפיטיקיר*, Gemürk / Würzung / Werckgewürkt; oder des Apothekers.

§. 26. Modum hunc conficiendi generaliter indicatum, explicatius deduxere Commentatores. (Quid verò in specie circa singulas voces annotaverint, adducere, angustia pagellarum prohibet, conf. tamen, si placet, R. S. Jarchium & R. AbenEsram, nec non R. D. Kimchium in Rad.) Rivetus, *Comment. in h.l.* ait: *Forma compositionis unguenti illius, eo parari modo debuit, quo in myropoliis unguenta parari solent, specierum commodâ mixtione, si liquida sint omnes, aut maceratione earum, quæ non fluunt, ac expressione & purificatione liquoris, postquam omnium specierum vires assumptæ sunt. In summâ, sive materiam spectemus, sive formam, voluit Deus eligi aromata fragrantissima & pretiosissima, eaq; parari eâ arte & industriâ, quæ à peritissimis unguentariis adhiberi potuit. Specialiter quoque, imò specialissimè eum exponere conantur Judæi, & ut quæstioni illi, quomodo tam parvus olei liquor ad diluendum satis, miscendum & coquendum, ne nimis spissum factum unguentum, unctioni & fusioni, suâ tenacitate & densitate, minus idoneum evaderet, sufficere potuerit magnæ huic aromatum mo-*

li, 1500. puta siclis: nedum si cum illis, qui non siclos, sed libras  
hic intelligi volunt, consentire vellemus; satisfac t, conten-  
dunt, species has aromatum non statim cum oleo mixtas, coctasq;  
sed prius aqva maceratas, dehinc coctas, & deniqve oleo super  
infuso fuisse imbutas. Ita namqve Rabbam, *Hal. Cel. Hammikd.*  
*e. l. v. 2. 3. 4.* ומקנה שקל חמש מאות שקל ומקנה

חמשים ומאתים ושוחק כ"א אחד ואחר לכרו וערב  
הכל ושרה אותן במים זכין ומתוקין עד שיצא כל  
כחם במים ונתן על המים שמן זית הין וחוא שנים  
עשר לוג ובשל הכל על האש עד שאכרו המים  
Accipit de tri-

*bus (verius de duabus tantum speciebus) quingentos siclos, & de  
calamo (& cinnamomo) 250. atq; contundit singula seorsim; deinde  
miscet omnia, & macerat in aqvis puris ac dulcibus, donec extraha-  
zur omnis virtus illorum, postea affundit super aqvas olei Hin, qve  
mensura duodecim Logos facit, & coqvrit simul ad ignem, usq; dum  
exhalent aqva, & remaneat unguentum, idq; asservat in vase ad po-  
steritatem. In Mass. Cerith. sapius alleg. R. Jehuda & R. Jose (pro  
qvo ר"י in Comm. legit R. Meir) hunc in modum inter se loquen-*

tes adducuntur: ר"י שמן המשחה שלקו העקרין דבריו  
רבי יהודה א"ל ר' יוסי והלא לסוך העקרין אינו  
ספק כיצד עושה הביאו העיקרין ושלקום במי  
והציף עליהן שמן וקלט את הריח וקיפחו:

*Tradiderunt Rabb. nostri de Oleo unktionis, qvò elixarint radicalia,  
hec sunt verba R. Jehuda. Dixit ei R. Jose: certè ad unguendum ra-  
dicalia tantum, ipsum oleum olivæ non sufficiens fuisse; qvomodo igi-  
tur factum est? assenserunt radicalia, & elixarunt in aqvis, postea  
verò super illa instillarunt oleum, ut reciperet odorem, tuncq; sus-  
tulerunt. Qvo sensu legitur in Tr. Schekalim f. 9. l. Horajoth f. 11. 2.  
& in Gemara, qvæ conferri possunt, nos, brevitati studentes, o-  
mania adducere non possumus.*

§. 27. Ve-

§. 27. Verùm hanc sententiam amplecti Rabbīnorum nul-  
latenus possumus ob rationes multas, easq; prægnantes, quas o-  
mnes afferre, sicut & aliorum opiniones hīc recensere & exami-  
nare, longum pariter atqve tædiosum foret, neqve pagellarum  
permitteret angustia. Nobis, quid dicere hāc in re difficili debea-  
mus, hæret animus. Tutissimum erit, si cum Nobiliss. Dn. Andr.  
Sennerto, Venerando nostro Seniore, asseramus, oleum hoc per  
destillationem, quam Græci κατὰ σαγμὸν & σαλαγμὸν vocant,  
ex aromatibus illis fuisse elicatum, ut nempe hæ aromatum species  
non quidem in minutissimum pulverem tusa, sed si aliquanto ma-  
jores, in tenuiores tantùm partes sint fracta, idq; imptimis, ut vis  
aromatica magis expiraret, & in oleum transmitteretur: aroma-  
ta enim attrita, & in partes divisa fortius olent, quàm integra re-  
licta; aliàs in suā naturali quantitate relicta. Hinc illa aromata,  
vasi huic operationi convenienti immissa & oleo olivarum affu-  
so, ignis exposuerunt torturæ, quò mediante secundum artis de-  
stillatoriæ leges elieuerunt nostrum oleum. Plura de hāc arte vi-  
de apud B. Dan. Sennert. *Institut. Medic. L.V. P.III. Sect. II. c.XI.*  
*p.1290. seqq. & Sect. III. c.VI. p.1370.*

§. 28. Admirantur item nonnulli, quomodo hoc ipsum à  
Mose in deserto confectum oleum tam diu novem ferè seculis,  
à Mose scil. ad Josiam usqve, incorruptum potuerit perdurare, &  
quomodo paucum existens (utram enim ex his §§. præced. ad-  
ductis amplecteris sententiam, eadem ferè erit portio) tot unctio-  
nibus potuerit sufficere; non enim homines tantùm, sed & vasa  
sanctuarii, inter quæ magna quædam, eo illiniebantur plurima,  
& ipsum denique Tabernaculum? Verùm quid opus est admira-  
tione, si dicatur, quod in ipso usu non prodigè fuerit profusum in  
homines, exceptò forsā Aharone, & omnia ista vasa, multomi-  
nùs inuncta & obducta; sed suffecisse, si singulis rebus consecran-  
dis parva aliqua hujus olei particula, & ut nonnulli Rabbīnorum  
statuunt, nota literæ Græcæ  $\chi$  vel infusa vel inuncta sit. Ex quo  
manifestè colligimus, non omne fuisse consumptum, sed reman-  
sisse, quod postmodum in vasculo puro ad seræ posteritatis usum  
apud reliquam suppellestem sacram fuit adservatum. Ne-  
que etiam putamus, illud reparatum fuisse, quia aliud in defi-

cientis locum conficere aut ejus compositionem quoquo modo imitari, expressè sub pœna excidii prohibitum erat, ceu videre est è v. 32. 33. cap. nostri.

§. 29. Et in capite hoc causæ nobiscum facit R. Abarbenel, Comm. in Legem, dicens: אבל הוסיף לאמר ואתה קח לך וזה בלא ספק מעור ערל אמיתת מה שזכרו הכמינו זכרונם לברכה שלא נעשה שמן המשחה כי אם פעם אחת שעשאו משה רגינו בידיו ולא יעשה עוד בעתור:

*Quod autem Deus expressè addit: TU ACCIPE TIBI, hoc absq; dubio testatur de veritate ejus, quod sapientes nostri benedicta memoria dixerunt, non esse confectum oleum unctionis, nisi semel tantum, cum conficeret illud Moses Magister noster suis manibus, nec posthac amplius conficiendum: aliiq; plurimi & eruditi, quos omnes, brevitati studentes, adducere jam superfedemus. Attamen unus atqve alter Judæorum in hoc à nobis dissentit, quòd illi statuunt, Mosaicum illud oleum perenne futurum, omniumq; ætatum unctionibus inservitutum, propterea etiam absconditum fuisse &c. & fundamentum petere volunt è vocabulis הָזֶה בּוֹח, h. e. idem numero, & לְדוֹרוֹתֵיכֶם in generationes vestras, Exod. 30. 31. collato cum Ex. 16. 33. & denique quod Scriptura non dicat: Oleum unctionis sanctum erit hoc Aarone & filiis ejus in generationes eorum; sicut dictum de vestibus; sed, erit mihi in generationes vestras. In quorum numero præcipuus est R. Jehuda, qui his omnibus, hætenus de olei hujus compositione à nobis allatis, contradicit, & cuncta soli miraculosæ Dei omnipotentis benedictionisq; adscribit, quâ paucitas hæc olei cum in præparatione, ut tantæ huic aromatum molli sufficeret, tum in ipsa unctionis usurpatione, quæ & in perpetua aservatione totius illius in futurum usqve seculum, ita augmentata sit, ut, non secus atqve lecythus ille olei viduæ, 2. Reg. 4. ab Elisa ditata, semper, quantum vel usu, vel tempore de eo consumptum erat, divino quodam miraculo mox restitutum fuerit. Ita namqve inter alia legitur in Talm. sæpius cit. וְאָמַר לָוֵי וְיְהוּדָה וְכִי נִסַּח אַחַד נִעְשָׂה בְשֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה וְהָלַא נִסִּים הָרַבָּה נִעְשָׂה בּוֹ מִתְחַלְתּוֹ וְעַד סוּפוֹ תְּחַלְתּוֹ לֹא הָיָה אֵלָּא שְׁנַיִם עֶשְׂרִי לֹג וְכוּ*

וְבוֹ נִמְשַׁח הַמֶּשְׁכָּן וְכֻלּוֹ וְאֶהְרֹן וּבָנָיו כָּל שִׁבְעַת יָמֵי  
הַמְלוּאִים וְבוֹ נִמְשַׁחוּ כַהֲנָיִם גְּדֹלִים וּמַלְכִים וְכֹלֵן קִיּוֹם לַעֲתִיד  
לְבֹא שְׁנֵי שִׁמְן מִשְׁחַת קִדְשׁ וְהָיָה זֶה לִּי לְרוֹרוֹתֵיכֶם:  
*Dixit ei (R. Jose scil. cujus in §. 26. mentionem fecimus) R. Jehuda, an unicum tantum miraculum contigit Oleo unctiois, annon plurima miracula contigerunt ei? ab initio ad finem ejus? Initio non nisi duodecim Login fuerunt, & ex iis unctum fuit tabernaculum & vasa ejus, Abaron & filii ejus totis septem diebus impletionis, & ex eo uncti sunt Sacerdotes Magni & Reges, cum durabitur fuerit in futurum, juxta illud, quod scriptum est: Oleum unctiois sacra hoc mihi erit in generationes vestras.*

§. 30. Idem quoque sentit R. Levi ben Gerson, & id per miraculum, sicut in Manna, factum esse ait. Dicit namque, Deum, ut Manna, ita & oleo huic unctiois indidisse virtutem præter naturam vim, ut perduraret & perennaret, converteretque, aërem in naturam suam. Deinde etiam ex natura olei & aromatum illius perpetuitatem conatur asserere, quando addit, oleo quædam inesse signa, per quæ reddatur idoneum recipienda isti virtuti perpetuanti, sive perennitatis: esse enim omnium lignorum maxime diuturnum, adeo ut per millia annorum perseveret incorruptum. Dixisseque Sapientes, oleo senescenti nihil detrabi, quin addi aliquid, siquidem subtilius in dies evadat. Denique subjicit, quod forsitan aromata, quæ ingressa sunt ejus olei unctiois compositionem, ad hoc etiam juverint. Deum enim, cum parat miracula, accommodare, aptareque causas, quæ fieri possint, convenientes. Propterea dictum à Sapientibus, in principio Tr. Cerithuth, hanc rem irfuisse oleo unctiois per modum miraculi. Verùm miracula præter necessitatem non sunt multiplicanda; sicut & absconsio ejus à Rege Josia facta, merum est commentum Rabbini-cum. Phrasis verò in generationes vestras non absolutè accipienda est, sed limitatè, quamdiu sc. in terra Israelitica viverent, vel, dum supererit apud Israëlitas, pro re sancta sit habendum.

§. 31. Sunt tamen adhuc alii, qui hanc emendare sententiam & omnes harum difficultatum nodos solvere volunt, sed dum charybdim vitant, in Scyllam incidunt. Præterdunt enim aliud, priori usu consumpto, tale iterum fuisse reparatum. Præ-

ceptum verò Dei, de quo §. 28. diximus, non ἀπλῶς accipiunt, sed  
variis limitant modis. R. S. Jarchi in b. l. ita explicat: *Non facie-  
tis aliud, quale hoc est, in pondere aromatatum horum, secundum men-  
suram Hin olei. Sed si vel minus aut plus olerum acceperit secundum  
mensuram Hin olei; licitum est. Et quoque, quod fit in summa hujus, si  
quis ungat se ex eo non est reus, nisi is, qui cogit illud.* Rambam Kel.  
Mikd. e. i. v. 7. ait: *העושה שמן כמעשה הזה וכמשקל הזה*  
ולא הוסיף ולא גרע כמויד חייב כרת בשוגג מביא הטאת  
קבועה שני אשר ירקה כמוהו והוא שיעשה אותו להמשח  
בו אבל אם עשהו להתלמד או להנו לאחרים פטור;  
*Conficiens oleum secundum compositionem hanc & juxta pondus hoc,  
non addens nec minuens per temeritatem, is reus est excisionis; at per  
errorem, is adducit peccatum grande, quia dicitur: quicumque conficiet  
consimile &c. ita tamen, ut conficiat hoc sine, ut ungetur eo: verum  
si conficiat illud, ut discat inde, aut doceat alios, immunis est.* R. Aben-  
Efra quoque ad b. l. majorum suorum, qui compositionem hanc  
olei sancti monadicam & irreparabilem statuunt, sententiam haud  
obscurè impugnat. Nam cum quorundam interpretationem at-  
tulisset, qui, quod v. 33. de extraneo non illinendo sacro oleo sanc-  
citur, de illo saltem oleo, quod Moses confecerit, intelligunt; si-  
bi addit id non videri, sed de quolibet oleo, tum à Mose hinc con-  
fecto, tum postea, illo deficiente, ab aliis in sacrum usum confici-  
endo accipiendum esse: & ubi v. 31. & 33. inter se contulisset, addit:  
והנה אין הפרש בין שמן המשחה שעשה משה ובין  
הנעשה אחכ שהוא כמוהו *Et ecce non est discrimen inter oleum  
unctionis, quod Moses preparavit, & inter id, quod preparatum est  
postea, quod planè illi simile est.* Sic & Cartwrightus, in *Elect. Tar-  
gumico Rabbin. ad Exod. p. 399.* oleum hoc semel tantum à Mose  
confectum nec unquam deinceps conficiendum fuisse, in dubium  
vocat, & dicit, verbis *Exod. 30. 32. 33.* non prohiberi omnimodam  
ejus confectionem, si prius deficeret, sed eam modò, quæ in pri-  
vatum usum fiat, ut hæc verba adducit Magnif. Dn. D. Carpz. in  
*annet. ad Schiff. מ"ה p. m. 68.*

§. 32. Con-


§. 23. Consentiunt Talmudici, qui proinde multa de hac poenâ excidii vel exterminii tradiderunt in peculiari tractatu, quem כריתות *Ceributh* seu excidium appellaverunt. Quæ verò hæc poena sit & quotuplex, cum ob angustiam pagellarum & materiæ ubertatem id explicare non liceat, L. B. ad eum remittimus. Conf. etiam potest Rivetus, *Comm. in Gen. 17. 14.* In eo verò, statim ab initio, 36 enumerantur casus, propter quos quis incurrat poenam כרת excidii vel exterminii, è quibus 32. est: *si quis misceat oleum unktionis: & 34. si quis inungat oleum unktionis.* Ad quæ verba possea in Gemara f. 77. i. hæc notantur: תר המפטם את השמן ללמד בו למוסרו לציבו פטור לכוך חייב והסך ממנו פטור לפי שאין חייבין אלא על סיכת שמן המשח: *Docent Rabbini nostri, Miscens oleum, ut disceat eo, & monstrat Ecclesie, absolvitur; ut ungat se damnatur; & alius eo se ungens absolvitur, quia non damnantur, nisi propter effusionem olei unktionis, quod confecit Moses tantum.* Atque ad hanc confirmandam sententiam vocabulum במתכנתו, cujus in textu mentio fit, variè exponunt. Sed quorsum quis illud vel ipse disceret, vel alios doceret, si ita præparatum oleum nulli inserviret omnino, ne sacro quidem, usui? dicimus iterum cum Magn. Dn. D. Carpzov. l. cit. p. 70.


§. 33. Et sic satis hæctenus mandatum Dei de oleo hoc conficiendo sacro in monte Sinai acceptum perspeximus, quod & fideliter Moses exhaustit. Nam simulac inde descendisset, omnes convocavit Israëlitas, ac cuncta Numinis præcepta eis iterum exposuit, iussitq; (Exod. 35. 8.) *ut offerrent aromata ad oleum unktionis.* In quam rem Deus quoque non tantum animos Israëlitarum excitabat, ut largiter has aromatum species, & omnia, ad oleum hoc, totumq; cultum, necessaria, contribuerent; (quod tamen munus aromatum principibus imprimis adscribitur, ut meritò principale aliquod munus, & oblatum legitur v. 28.) sed & ineffabili suâ gratiâ operis humanis & arti benedicebat, vires animi corporisq; concedendo, ut rectè artificiosèq; illud componeretur. Non autem existimandum, ac si Moses ipse manum operi admovisset, aut בידיו propriis suis manibus confecisset, ut nonnulli


nulli Rabbiorum volunt, & probare enituntur ex *Exod.* 30. 23. quod Deus notanter dicat: *Tu sume tibi &c. & v. 25. Et facias &c.* quorum dux est R. Abarbanel, qui R. AbenEfram, contrarium statuentem, refutare molitur, ut §. 29. diximus, quod tamen falsum; sed summus tantum & præcipuus hujus, ut aliorum, negotii ἐργασίας à Deo fuit constitutus, qui aliis, artificibus scil. quos ei significabat ac nomine vocabat, modum hunc conficiendi præscriberet & dirigeret. Inter eos autem prævalebat Bezaleel, cui adjungebatur Oholiab, aliiq; nonnulli sapientes, qui propterea à Deo sapientia donabantur, ut legere est *Exod.* 35. 31—35. Manifestè quoque, non Mosen, sed modò nominatos sapientes & artifices oleum hoc confecisse, atque ad hoc negotium vocatos fuisse, probatur ex locis *Exod.* 31. 11. & 35. 25. Imò in specie Bezalelem id fecisse commemoratur *Exod.* 37. 29. quod postmodum repetitur in peculiari operum suorum factorum catalogo c. 39. 38.

§. 34. In quem finem verò tam pretiosum tamq; præstantissimum confectum sit oleum, Deus in *v. 26. seqq.* indicat, quando ad Mosen dicit: *וַיִּשְׁמַחֵם* *Et unges in eo;* quod LXX. reddiderunt *λείψαις ἐξ αὐτῶν*, & Vulg. *unges ex eo.* Mog. *Daraus soltu salben.* Rectissimè Luth. *Damit soltu salben.* Nam præf. *ו* causam potius per quam, quàm ex quâ, quæ præfixo *ו* significari solet, exprimit. Hic tamen utrumque etiam locum habere potest. Oleum enim hoc erat, quo fiebat unctio, & quod in ipsa unctio inungebatur. Chald. & Arabs: *ibliniendo inunges.* Targ. Onk. habet *וַיִּתְרַבֵּי* *Et magnificies.* Ea autem, quæ Deus ungere mandat, ad cultum spectabant divinum, & quædam inanimata, ut vasa; quædam animata, ut homines, erant. Illa erant Tabernaculum & omnia utensilia sacra, ut fusè l. c. memorantur: Hæc sunt Aharon & filii ejus, aliiq; quæ singula in specie declarare, angustia pagellarum non permittit, cum quævis materia peculiarem potius requirat tractationem, neque etiam instituti jam est nostri, nos hic pedem figimus, & immortales agimus


**SOLI DEO GRATIAS!**











im nonnulli existimant pe-  
solam obedientiam paren-  
*Piscator edit. Herborn.*  
maces esse capitis supplicio  
ea de causa ab aliis refutatur.  
s autem minimè inficiemur,  
equium parentibus denegaf-  
tantum obruebatur lapidi-  
causæ gravissimæ, ob quas  
jure meritoque infligebatur.  
*bona de Synedriocap. 8. §. 2.*  
*fol. 189. pag. 2. 6 edit.*  
*Amstel. fol. 137. pag. 2. in 8.*  
nederit carnes in constitu-  
pore tantum pane & legu-  
vob comederit decimas fe-  
od comederit morticina &  
na, res abominabiles & re-  
nondum decimatas, & de-  
uferretur Teruma (sive pars  
danda sacerdotibus, prius-  
ur pro Levitis) & decimas  
um redemptas; quod come-  
g. comederit in jejuniis pu-  
itur, quod hic filius rebellis  
haberet quod devoraret ex-  
ia explicantur in *Commen-*  
B 3 ta-